



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Theophilus Conf. 10. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

10. Octob. VITÆ S A N C T O R V M . 495
commori cupidus Romam advolavit. Sed præ-
vertit Neronis crudelitas , qui spem tantam in
Paulo priùs decollavit. Galliam ergo cùm jussu
Clementis Pont. adiisset, annos numerans X. supra
centum, vincula primò tulit, tum verbera; utraque
Christianā fortitudine. Exinde ferreo , cui flam-
mæ subjectæ erant, lectulo incubuit; sed suaviora
numquam somnia de cælo , quām tunc vidit. Ita
semiustulatus feris objectus est, sed has etiam vir-
tus demulxit. Iterum in flamas missus , aurum
exivit. Pòst in crucem actus, cruce scilicet gravius
habuit deponi è cruce. Ad extremum cùm sacrifici-
cantem in carcere C H R I S T V S spectabilis anima-
set, non minus mortis D. Pauli , quām vitæ æmu-
lus, gladio occubuit. Illud memoratu dignum,
quod abscissum caput inter Angelorum accinen-
tium comitatus, suis ipse manibus passus bis mil-
le ad destinatum tumulum portaverit, novo mi-
raculo & funus idem & funeris duxor. Ex Hildus-
no & opere Marian. Canis.

Cruifixum intueamur, ut à peccato sanemur : quo-
modo qui intuebantur serpentem & neum in deserto , non
peribant morsibus serpentum : sic qui intuentur fide
Christi mortem , sanantur à morsibus peccatorum.
S. August. in Joan.

S. THEOPHILUS CONF. 10. Octobris.

H Uc oculos & filii & parentes ! Speculum
commune utrisque hodie T H E O P H I L V S
esto. Trimulum & sacris undis ablutum parentes
pii ad Stephanum Eremi incolam abduxerunt,
precibus Deo jam-tum initiandum. Nimirum ad-
huc pueritiam immaturam cælo credemus ? Ter-
tio decimo ætatis anno necdum exacto, sub Ste-
phanī

phani vultu feliciter THEOPHILVM Angelus bonus fallens ad mundi contemptum illis verbis pellexit : *Tolle crucem tuam, & sequere me.* Et hodie ad eumdem invitare hominem homini non licebit? non licebit Angelum æmulari? Jam non ignavus THEOPHILVS , etiam inconsultis parentibus, ad Stephanum , inde ad monachos abiit. At qui nostro ævo (ô tempora !) facinus est culeo dignum, parentes tam piè fallere , & facere quod laudata toties olim antiquitas, quod ipse puer CHRISTVS fecit. Huc itaque, eia ! iterum oculos, hoc in speculo (THEOPHILO nostro) maculas vestras & filii & parentes corrigite. Correxere certè THEOPHILI parentes , & rectius sapere edocti, quò mundum fugienti alas adderent , ipsi cœnobium filio struxerunt ; factumque hoc cælum probavit, cum suâ voce filium illuc evocavit. Inde vi extratus , multaque sub sacrarum imaginum holte Leone passus , sed ad extremum dimissus, nil magis doluit , quam erexit sibi, quam manu jam jam prehenderat , martyrii palmam : quamquam neque hanc illi negasse Superos existimo. Magnum enim longumque oppidò martyrium est, mundo mori. Ex Meneis .

Reduc ad animum prosperitates temporum , multitudinem hominum , dignitatum pompas , divitiarum abundantiam . Attende hec omnia , ubi vel quid facta sunt : & ex hoc pensa , quod nullas sint , & quia qui ista diligit , somnum vigilans videt . S. Greg. l.7. Regist.

S. JOANNES CONF. 10.Octobris.

IOANNIS inter literas etiamnum in Academiâ Oxoniensi agentis animum si inspexisset, templum musarum , sed multò magis virtutum dixisse